

CAPUT II.

DE ACTIBUS ELICITIS POENITENTIAE.

ARTICULUS I.

QUOMODO DETESTATIO SIT ACTUS POENITENTIAE AVERSATIVUS?

20. *Nota I.* Poenitentia strictè ac proprie accepta sex potissimum actus elicit, odium, detestationem, dolorem, voluntatem delendi peccatum, desiderium Deo satisfaciendi, et propositum nunquam deinceps peccandi.

Ex actibus hisce *odium* est simplex aversio a peccato, quæ etiam *abominatio* dicitur. Huic *detestatio* addit desiderium quoddam, quo cupimus, peccatum nunquam a nobis admissum fuisse : qui quidem actus in poenitentia non distinguitur ab odio. Ex detestatione præsentis mali oritur in subjecto capaci *afflictio*, seu lucta quædam et inquietudo animi, malum exosum excutere et fugere conantis : in quo consistit doloris hujus ratio : sicut gaudii ratio sita est in oblectatione animi quiescentis in bono præsentis et possessio.

Nota II. Vera poenitentia necessario requirit utrumque actum formaliter elicitedum : neque enim viator peccatum habitualiter adhuc sibi adhærens vere ac serio detestari potest, nisi una doleat se peccasse ; neque de eo dolere ita potest, nisi idem detestetur. Sicut gaudium necessario sequitur ex vehementi amore boni præsentis : et amor abesse non potest a gaudio, quo quis in bono præsentis conquiescit. Quare sicut amor et gaudium in hoc casu censentur perinde ac unus actus, ita detestatio etiam et dolor in poenitente. Imo poenitentia secundum rationem suam omnino intrinsecam formaliter ac præcipue consistit in utroque actu detestationis ac doloris, ita ut neuter præ altero sit præcipuus, quem virtus ista primario eliciat. Nam præterquam quod poenitentia nomen afflictionem animi significet, Sancti in cælo vere detestantur peccata ab se olim commissa, quin tamen vere poenitentia actum eliciant : detestatio vero est dolore perfectior tam in ratione virtutis, cum sit magis libera, quam dolor ; quam in ratione repugnantia cum peccato : continet enim virtute dolorem ; et quod dolor sit talis aut talis virtus, contritio vel attritio, habet solum a modo detestationis.

Igitur non consistit formaliter in sola detestatione, quæ dolorem necessario subsequenter tantum ut connotatum extrinsecum respiciat : neque præcipuus actus poenitentia est dolor connotans præviam detestationem, ut Scholasticis quibusdam videtur. Nam Synodus Tridentina Sess. 14. c. 4. æqualiter ait, contritionem esse dolorem et detestationem peccati.

Hac scholastica altercatione breviter delibata, operæ pretium erit contemplari, quomodo detestatio hæc, quæ tristitiam antecedit, peccatum aversetur? quam quæstionem ut expediam

21. *Dico.* Detestatio peccati ex motivo alicujus virtutis et ipsiusmet etiam caritatis potest esse actus formaliter tantum aversativus, quin amorem formalem includat.

Prob. I. In actu amoris formalis bonum non tantum concurrat ut motivum formale, et ut ratio amandi, sed etiam ut objectum materiale et tanquam res amata. Atqui in detestatione peccati ex motivo caritatis vel alterius virtutis bonum concurrat tantum ut quo, ut objectum formale et motivum odii ; ergo detestatio non est formalis amor, sed actus formaliter tantum aversativus ; prosecutivus autem virtualiter et æquivalenter.

Prob. II. Non possum eodem actu formaliter detestari peccatum, et amare simul bonum, propter quod peccatum detestor ; quia repugnat simpliciter, ut idem actus sit formaliter amor et odium ; sicut actus intellectus idem nequit esse simul assensus et dissensus.

Quod si dixeris, actu priore formaliter amari bonum, et altero actu detestationem peccati exerceri propter bonum, cui adversatur : verum affirmas, sed nihil contra thesin nostram. Id enim passim ac ordinarie, non tamen necessario in poenitentia contingere Suarez aliique nostræ sententiæ patroni fatentur.

22. *Obj. I.* SS. Scriptura et Patres ad gratiam et justificationem recuperandam exigunt conversionem ex toto corde per amorem Dei mutuum, et per contritionem caritate perfectam : atqui hæc sine actu formali caritatis esse nequeunt ; ergo.

R. D. M. Scriptura et Patres exigunt amorem Dei necessario formalem *N.* saltem virtutalem *C.* et *D. etiam min.* Hæc esse nequeunt sine actu formali caritatis saltem aversantis *C.* sine actu caritatis prosequentis *N.* Detestatio peccati ex motivo caritatis est actus hujus virtutis formaliter quidem aversantis, sed virtualiter et æquivalenter prosequentis ; nam æquivalens, actui prosecutivo : peccatum enim odimus ex motivo bonitatis, quia adversatur juri divino, aut Deo summe amabili displicet. Nec enim malum causare dicitur, nisi per vim, quam a bono accipit.

23. *Obj. II.* Omnis actus tendit in objectum suum formale ; ergo etiam contritio tanquam actus theologicus tendit in bonitatem divinam, non quidem hanc aversando, sed amando.

R. D. A. Actus tendit in objectum suum formale directum et immediatum *C.* indirectum et mediatum *subdist.* illud amando formaliter et ut quod *N.* virtualiter, et ut quo *C.* Peccati malitia movet ad detestationem, quatenus peccatum malum Deo est, eique displicet. Quapropter peccati malitia movet proxime ac immediate ; Dei autem bonitas mediate et remote movet, et amatur tantum ut quo, virtualiter, actu simplicis complacentia, qualis ipsam Dei dilectionem formalem præcedit.

Inst. Actus poenitentia imperans amorem Dei aut contritionem, etiam remote attingit divinam bonitatem, quin sit actus virtutis theologicae ; ergo ad actum virtutis theologicae non sufficit, quod mediate attingat perfectionem divinam.

R. N. Cons. In actu detestationis peccati ex motivo bonitatis divinae, hæc revera est motivum formale intrinsece perficiens et complens actum contri-

tionis : ad actum autem poenitentiae aut alius virtutis imperantis, actus contritionis imperatus nihil intrinsece confert.

24. *Obj. III.* Cum alicui volo malum, quia ipsi malum est, ipsum formaliter odi; ergo cum alicui nolo malum, quia ipsi malum est, formaliter ipsum amo.

R. N. *Cons.* In Antecedente subjectum, cui malum cupimus, est simul objectum materiale et formale directum, proximum et immediatum: e contra in detestatione peccati, eo quod Deo summe bono displiceat, objectum materiale est peccatum, formale proximum ejus malitia, Dei autem bonitas, cui peccatum adversatur, est motivum remotum et mediatum.

Inst. 1. Recessus a termino a quo est formalis accessus ad terminum ad quem; ergo cum contritio sit recessus a creatura ad Deum, erit formalis amor.

R. N. *Cons.* Detestatio et alii actus potentiae appetitricis sunt tantum aequivoce et metaphorice motus intuitu motionis localis; quare illis sufficit virtualis accessus et recessus: neque enim amor omnis est formale odium, tametsi sit accessus ad bonum.

Inst. 2. Nullus actus intellectus est pura negatio et dissensus, sed semper est assensus formalis; ergo nullus actus voluntatis est mera fuga, sed simul erit persecutio formalis.

R. N. *Ant.* Cum dico: homo non est lapis, non affirmo negationem, ut quidam fingunt; nam negatio formalis, seu actus intellectus non affirmat, neque affirmatur, sed est id, quo negatur de subjecto praedicatum: negatio autem objectiva seu non identitas subjecti et praedicati etiam in illo actu non affirmatur formaliter, sed tantum dicitur, praedicatum non esse subjectum. Ad quod sufficit, si apprehensionibus variis antea cogitaverimus hominem, lapidem, et distinctionem termini utriusque, idque adhuc habitu sciamus. Sicut sufficit ad assensum conclusionis, quod ejus motivum seu praemissa adhuc virtualiter in intellectu haereant, et attingantur virtualiter, et ut quo. Dabuntur igitur actus voluntatis, qui mera fuga sint. Nam sicut se habet voluntas appetendo bonum: ita se fere habet aversando malum. Si ergo bonum movere potest ad meram sui prosecutionem, malum etiam movebit ad puram a se aversionem.

ARTICULUS II.

QUOMODO DETESTATIO SIT ABSOLUTA, EFFICAX, ET UNIVERSALIS?

25. *Nota I.* Actus *conditionatus* dicitur, cujus efficacia pendet ab adjecta conditione. Conditio ista, si sit ex parte subjecti seu potius voluntatis, suspendit seu tollit in praesens omnem actum voluntatis; adeoque actus talis improprie conditionatus vocatur, quia revera nullus est, sed esset, si conditio poneretur; v. g. si Petrus me rogaret, vellem illi dare eleemosynam: qui quidem actus magis ad intellectum quam ad voluntatem spectare videntur.

Igitur actus voluntatis vere ac proprie *conditionatus* petitur magis ab

objecto, quia licet voluntas in praesenti illum exerceat, per illum tamen non tendit in objectum absolute sumptum, sed conditioni alicui adstrictum: ut cum testator legat Petro centum, si hoc fecerit, revera vult donare, sed cum conditione. Cujus signum est, quod conditione expleta, voluntas illa effectum sine novo actu sortiatur.

Huic contrarius actus dicitur *absolutus*, quod solutus sit ac liber ab omni conditione, quae vel ex parte subjecti vel ex parte objecti adici posset.

Nota II. Detestatio peccati dupliciter potest esse *universalis*: primo formaliter, cum eam antecedit distincta vel confusa omnium peccatorum recordatio: deinde virtualiter, quando unum quidem solum peccatum menti obversatur, ratio tamen illud detestandi sufficit, ut voluntatem a caeteris omnibus avertat. Quod si motivum non excederet crimina uni tantum virtuti adversantia, detestatio ex motivo tali profecta, esset tantum particularis. Nam cum quis adulterium detestatur, quod honestati castitatis repugnet, ejusmodi actus non foret detestatio furti, aut alius virtutis.

26. *Dico I.* Detestatio, quae respicit actum peccati praeteritum, est voluntas efficax et absoluta ex parte subjecti, sub conditione afficiente objectum: ex parte autem peccati habitualis absoluta est et efficax utrinque.

Prob. 1^a pars, quae est S. Thomae in 4. d. 17. q. 2. a. 1., q. 1. ad 3. et aliorum. Licet enim objectum illud sit tantum impossibile ex suppositione, voluntas tamen non versatur circa illud per talem actum, nisi ex suppositione praedicta: et ideo perinde se habet, ac simpliciter impossibile. Actus ergo ille non est absolutus, sed includit hanc ex parte objecti conditionem, *si mihi esset possibile*. Fieri enim non potest, ut absolute et efficaciter velimus nunquam peccasse, cum sciamus, hoc jam omnino esse impossibile.

Prob. 2^a pars, quae etiam est S. Thomae, et caret difficultate. Peccator enim poenitens non tantum odit peccatum habituale, sed retractat etiam positive, et mediis utitur efficacibus, quibus ab illo se penitus expediat.

27. *Dico II.* Tametsi detestatio peccati esset particularis formaliter et in objecto materiali, si tamen ratio detestandi sit peccatis mortalibus omnibus communis, detestatio erit universalis virtualiter, et absolute voluntatem avertet ab affectu omnis peccati mortalis. Ita S. Thomas q. 86. a. 3., Suarezius disp. 4. sect. 8. assert. 3. et Theologi communiter.

Prob. Detestatio virtualis omnium peccatorum est actus omnino impossibilis cum affectu ad quodlibet peccatum ex motivo sufficiente ad detestanda omnia peccata. Atqui si ratio detestandi unum particulare peccatum sit mortalibus omnibus communis, erit actus omnino impossibilis cum affectu ad quodlibet peccatum mortale, eritque motivum sufficiens ad detestanda omnia mortalia peccata. Ergo. *Min. constat.* Nam cum sit idem omnino motivum in omnibus, quod est in singulis peccatis, et adaequata ratio detestandi omnia perinde ac unum mortale, non potest voluntas eodem tempore odisse unum, et complacere in aliquo alio. Virtualiter igitur detestatur omnia mortalia, qui unum detestatur ex eo, quod per hoc incurratur poena aeterna, aut amicitia Dei dissolvatur, aut talis Deo injuria inferatur, ut ratio finis ultimi censeatur ipsi adimi. Habet enim hic res sicut in fide: nam qui unum articulum credit, quia Deus summe verax eum revelavit, virtualiter

credit alios omnes, et qui negat formaliter unum, virtualiter cæteros omnes inficiatur.

Conf. Efficax detestatio peccati venialis ex motivo communi poenitentiae, caritatis, spei aut alius virtutis non tantum est virtualis detestatio omnium venialium peccatorum, sed etiam mortalium; quia ejusmodi motiva communia sunt non tantum peccatis venialibus, sed etiam mortalibus, ita ut sit legitima consecutio ex comparatione a minore ad majus. Nam qui efficaciter odit caritatis remissionem, leves offensas et injurias, poenam temporalem, ægritudinem, multo magis oderit caritatis amissionem, offensas et injurias graves, et supplicium æternum.

28. *Obj. I. cont. 1^{am}. concl.* Hi sunt tantum actus intellectus: si Petrus adesset, darem ei eleemosynam: si adesset, ipsum viderem; ergo etiam hic: si res adhuc esset integra, jam non amplius peccarem.

R. C. Ant. N. suppos. Conseq. Sicut hi sunt veri actus voluntatis: vellem dare Petro eleemosynam, modo adesset: vellem ipsum videre, modo adhuc viveret; ita et hic: *vellem nunquam peccasse, si res adhuc integra esset.* Si quis nunc optaret, olim peccasse, peccaret utique: sed actu intellectus nemo peccat; ergo ejusmodi desideria sunt veri actus voluntatis.

Inst. Talis actus eo tendit, ut, quod factum fuit et præteritum, fuerit infectum et non præteritum; ergo est inutilis et otiosus.

R. D. Ant. Eo tendit prorsus absolute etiam ex parte objecti præteriti *N.* eo tendit absolute ex parte subjecti, et conditionate ex parte objecti *C.* Talis actus est odium simul ac detestatio, prout odium recte explicatur per verbum indicativi modi: *Nolo peccatum;* quo modo est absolutus, est efficax ad separandam et avertendam voluntatem ab affectu peccati: impossibile enim est, cum tali actu ex deliberata voluntate concepto affectum peccandi animo inhærere. Idem odii actus simul est detestatio absoluta et efficax ad destruendum peccatum commissum, quatenus hoc aliquo modo permanet habitualiter seu moraliter: quantum autem se habet detestatio ad objectum proprium, quod est, facere ut peccatum commissum non fuerit, non caret simpliciter omni conditione, neque habet efficaciam; tametsi sit affectus eatenus absolutus, quatenus revera inest voluntati. Ex quibus apparet, quo sensu verum sit, quod Alexander et Albertus dicunt, actum poenitentiae absolutum esse: S. Thomas vero eum vult esse conditionatum: Adrianus vero putat illum nec esse absolutum, neque conditionatum, sed ad simplicem affectum displicentiae peccati commissi revocat. Vide supra num. 5. *Inst. ad obj. 2.*

29. *Obj. II. cont. 2^{am}. concl.* Possum ex poenitentiae vel caritatis motivo dolere de uno peccato graviore ob tantum gravitatis gradum, quin de cæteris minus gravibus doleam. Ergo detestatio ex motivo poenitentiae vel caritatis non necessario est universalis virtualiter.

R. N. Ant. Talis non haberet motivum verum et principale harum virtutum: hoc enim necessario non se extendit ante ad gradum, quam ad substantiam peccati. Igitur in dato casu non eliceretur actus poenitentiae vel contritionis.

Inst. 4. Potest quis amico succurrere in aliquo negotio ex motivo amici-

tiae, qui eidem non succurreret in gravi et periculoso casu: dat aliquis stipem moderatam pauperi ex misericordia, obedit quis superiori in rebus obviis ex obedientiae motivo, qui tamen pauperi non daret stipem amplam, nec largiretur sæpius neque pauperibus pluribus; item qui in rebus difficilibus non obtemperaret. Ergo potest aliquis ex motivo pluribus virtutibus communi unum grave peccatum aversari, quin cætera virtualiter detestetur.

R. D. Ant. Potest quis edere actus mediocres amicitiae, misericordiae, obedientiae, quin data occasione ederet illorum plures et difficiliore, si prudentia dictet, ipsum in hisce circumstantiis obligari ad plures et difficiliore actus exercendos *N.* secus *C.* In actibus fugae motivum est indivisibile: nam quodlibet mortale peccatum secundum se totam motivi rationem destruit; igitur vi ejusdem motivi omnia et singula ei adversantia peccata simpliciter et absolute aversari oportet. E contra ratio actuum prosequentium divisibilis est: etsi enim universim jubeamur virtutum actus exercere; quia tamen præceptum hoc affirmativum non quovis tempore, nec quacumque alia circumstantia nos adstringit ad agendum; crebro actiones illæ bonæ omitti queunt, quin contra rationem virtutis peccetur. Si quis nihilominus, cum teneri se ad actuum horum exercitium prudenter existimat, ab actibus difficilioribus abstineat, hic vel ante, cum faciliores eliceret, non agebat ex motivo primario virtutis, vel difficultate victus intentionem priorem abjicit. Id quod idem sæpe accidit iis, qui ex motivo generali virtutis peccatum antea efficaciter detestati, postmodum tentationi succumbentes in peccata relabuntur.

Inst. 2. Voluntas libera est; ergo ex motivo universali poterit unum peccatum detestari, quin detestetur alia.

R. D. Ant. Voluntas libera est ad detestandum vel non detestandum peccata *C.* est libera ut possit simul detestari et non detestari objectum idem *N.* Hoc eveniret virtualiter saltem ex motivo æque communi peccatis omnibus, si unum tantum detestaretur, et alia quædam exciperet. Vellet finem, et non vellet, quia medium necessarium nollet, quod est fuga peccati: quodvis enim lethale crimen virtutis generalis fini obstat.

Inst. 3. Qui unius peccati præteriti recordatione oblectatur, non continuo idem virtualiter præstat erga cætera, quorum non meminit; ergo neque detestatur virtualiter peccata omnia, qui ex generali motivo unum detestatur.

R. N. Cons. Ad perfectam delectationem de peccato uno concipiendam non opus est complacentia peccatorum omnium: e contra detestatio virtualis peccatorum cæterorum idem motivum participantium simpliciter exigitur ad conservationem et efficaciam poenitentiae vel virtutis alius.

Inst. 4. Qui ex motivo universali detestatur peccatum mortale, non detestatur semper omnia venialia; ergo non semper detestabitur simul omnia mortalia.

R. N. Cons. Venialia peccata non semper continent motivum peccatorum mortalium: nam cum poenitentia odit ac detestatur peccatum mortale, quia ita injuriosum Deo est, ut ei tollat rationem finis ultimi; cum caritas peccatum aversatur, quia dissolvit Dei amicitiam; cum spes ab eo abhorret, quia privat divina gratia, et poenas sempiternas accersit; motiva isthæc solis peccatis mortalibus sunt propria, minime vero venialibus communia; ad quæ affectum retinere potest, qui peccata mortalia efficaciter detestatur.

ARTICULUS III.

AN PŒNITENTIÆ ACTUS SIT HONESTUS?

Nota : Joannes Wigandus et Lutherani rigidi docuerunt, pœnitentiæ actum ac præcipue contritionem non esse actionem liberam, sed potius passionem extortam divinitus injecto terrore et minis legis. Unde aiunt, illam pertinere ad Legem veterem, non ad Evangelium, quod nos tantum fide remissionis peccatorum solatur. Denique eodem actu pœnitentiæ hominem omni bono spoliari, et peccatis ac maledictionibus repleti. Igitur bonum eum esse non posse concludunt, ut videre est in Colloquio Altenburgensi, collatione quarta, argumento 21. ad tertium scriptum Wittenburgensium mollium sive Electoralium Lutheranorum. Docti sunt errores istos a Luthero, qui eos propugnat disputatione 1. contra Antinomus, propositione 2. et 30. Item in Articulis Schmalcaldicis tit. de Pœnitentia. Cui adhæret Calvinus L. 4. instit. c. 3. §. 20.

30. *Dico*. Actus pœnitentiæ tam elicited quam imperatus est honestus.

Prob. I. Quod Deus jubet, et viri sancti faciunt, honestum est. Atqui pœnitentiam Deus ipse jussit Ps. 4. v. 5. *In cubilibus vestris compungimini.* Jerem. 2. v. 19. *Scito et vide, quia malum et amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum,* etc. Christus Matth. 4. v. 17. jussit agere pœnitentiam : et ante ipsum Joannes Baptista, Matth. 3. v. 2. Pœnitentiam egerunt Job c. 42. v. 6., David Ps. 50., Ezechias Isa. 38. v. 15. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Petrus Matth. 26. v. 75. *flevit amare;* ergo pœnitentiæ actus est honestus.

Prob. II. Turpe est peccare; ergo honestum est peccata præterita detestari et expiare. In quam rem TERTULLIANUS L. de Pœnitentia c. 4. *Bonum est pœnitere an non? quid revolvis? Deus præcipit.* Et AUGUSTINUS L. de duabus animabus contra Manich. c. 14. n. 22. *Utile est pœnitere peccati. Quid ego nunc in hanc rem divinarum Scripturarum testimonia, quæ usquecumque diffusa sunt, colligam? Vox est etiam ista naturæ.* Et Aristoteles 7. Ethic. c. 7. *Quem non pœnitet,* inquit, *inemendabilis est.* Merito ergo doctrina Lutheri et rigidorum ejus discipulorum proscribitur a Conc. TRID. Sess. 14. Can. 5. *Si quis dixerit, eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, quæ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem; demum illam esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.*

31. *Obj. I.* Lex vetus intentatis minis terret peccatores, qui transgrediuntur legem Dei : Evangelium autem eos consolatur. Hinc Christus Marc. 1. v. 15. *Pœnitimini,* inquit, *et credite Evangelio;* ergo pœnitentia,

quæ in terroribus divinitus incussis consistit, ad legem pertinet, non ad Evangelium.

R. N. Cons. Terrores isti non a lege tantum, sed etiam ab Evangelio peccatoribus incutiuntur : nam Joannes, Matth. 3. v. 12. de Christo ait : *Paleas comburet igne inextinguibili.* Et Christus ipse Matth. 5. v. 22. c. 13. v. 41. c. 24. v. 51. c. 25. v. 46. gehennam et supplicia sempiterna minatur. Terrores autem isti sunt tantum actus, qui gignunt pœnitentiam, non vero pœnitentia ipsa. Pœnitentia autem tota secundum se proprie ad Evangelium spectat : nam Christus Luc. 5. v. 32. ait, se duntaxat venisse vocatum peccatores ad pœnitentiam. Et Luc. ult. v. 47. ait : oportere *prædicari in nomine ejus pœnitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.* Quod ipsum affirmant Petrus Act. 5. v. 31. Et cæteri Apostoli, Act. 41. v. 18. Et Paulus Act. 17. v. 30. c. 20. v. 21. c. 26. v. 20.

Adhæc sola lex Evangelica promissionem habet gratiæ; ergo cum pœnitentiæ promissa gratia sit Ps. 50. v. 19. *Cor contritum et humiliatum Deus non despicias.* Isai. 66. v. 2. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum, et contritum spiritu, et tremantem sermones meos.* Ezech. 18. v. 21. *Si impius egerit pœnitentiam... vita vitet :* pœnitentia, non tantum prout ex fidei consolatione et spe veniæ exoritur, sed etiam in quantum præsumit terrores divinitus injectos, et ex vera perfecta que cordis contritione perficitur, ad Evangelium potissime pertinet.

32. *Obj. II.* Conc. TRID. Sess. 6. c. 6. docet, pœnitentes, excitante divina gratia, a divinæ justitiæ timore concuti : sed actus gratiæ excitantis non est liber ; ergo actus pœnitentiæ non est liber, sed per illum homo magis agitur a Deo, quam agit.

R. N. Cons. 1°. Tridentinum non ait, timorem illum, quo peccatores utiliter concutiuntur, esse pœnitentiam, sed dispositionem ad justitiam esse. 2°. Non quilibet terror ac timor justitiæ divinæ est dispositio talis : nam et *dæmones credunt et contremiscunt* Jac. 2. v. 19., nec tamen peccatum suum oderunt, nec tumorem et obstinationem deponunt : et Felix ille Syriæ Præfectus, Act. 24. v. 25. audiens Paulum de judicio futuro disputantem tremore concussus cor lapideum retinuit. 3°. Tametsi salutaris ille terror, quo divinitus primo percelluntur peccatores, nemini liber sit, utpote gratia excitans : hujus tamen quasi effectus, timor divinæ justitiæ, quem adjuvante Dei gratia concipiunt, liberrimus est, eoque bene dispositi libere moventur in spem, dilectionem Dei, et in odium ac detestationem peccati.

33. *Obj. III.* Vere pœnitentes ipsi se contemnunt, detestantur, nihilque in se boni, sed multa mala agnoscunt, atque idcirco se indignos gratia, dignos odio et suppliciis judicant ; ergo actus pœnitentiæ hominem omni opere bono spoliatur, et replet maledictionibus : et consequenter opus bonum esse non potest.

R. N. Cons. Quod peccator se videat malis repletum, ac pœnis dignum reputet, non oritur a pœnitentia, sed a cognitione sui, et humilitate : neque pœnitentia aut virtutes istæ reddunt hominem spoliatum bonis, et plenum maledictionibus, sed talem præsumunt, et tam male affecto superveniunt. Ideo enim dolemus, quia in Deum peccavimus : nemo autem

peccat, quia admissa peccata deflet. Sicut nemo vulneribus aut morbis repletur, quia ex vulneribus et morbis dolet: sed ideo dolet, quia vulnera morbosque sentit. Nec facinorosi flagitiis replentur, quia supplicia et iudicem timent: sed ideo supplicia et iudicem timent, quia se flagitiis obstrictos esse noverunt.

34. *Obj. IV.* Actus pœnitentiæ oritur ex voluntate destruendi peccatum, et satisfaciendi Deo, ac si nobis hoc esset possibile; ergo est præsumptuosus.

R. D. *Cons.* Est præsumptuosus, si viribus humanis id assequi conaretur C. cum per Dei gratiam id concedi sibi pœnitens credat N. Pœnitentia non agitur animo satisfaciendi Deo ad æqualitatem, aut ex iustitia perfecta; sed solum cum divino auxilio faciendi quantum in nobis est, ut a Deo misericordiam obtineamus. Quod rationi oppido congruit.

ARTICULUS IV.

UTRUM ACTUS PŒNITENTIÆ SIT SUPERNATURALIS?

Nota. Approbarunt quidam olim Pelagiani pœnitentiæ actus tanquam honestos, sed eos naturalibus liberi arbitrii viribus attribuerunt, dixeruntque, hoc modo gratiam, qua liberamur a peccato, secundum merita actionis naturalis nobis dari: ut testatur S. Augustinus L. de Hæresibus c. 88. et in epist. 106.

Errorem istum Catholicis impudenti calumnia affinxit Kemnitius in 2. parte examinis c. 4. de Pœnitentia, pag. 963. scribens, Concilium Tridentinum stabilire voluisse dogma illud: quod humanis viribus sine speciali Dei auxilio pœnitentiam illam tribuit, quæ sit sufficiens dispositio ad peccatorum remissionem.

35. *Dico.* Actus Christianæ pœnitentiæ hoc sensu est supernaturalis, quod sine speciali et supernaturali Dei gratia exerceri non possit. Thesis hæc est de fide.

Prob. I. Sicut fides et caritas in Scriptura S. dicitur donum Dei, ita et pœnitentia; ergo si ex hoc argumento fides et caritas demonstrantur esse actus supernaturales, etiam ex eodem argumento constabit, pœnitentiam actum esse supernaturalem. *Prob. Ant.* 2. Tim. 2. v. 25. ait Apostolus: *Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et respiscant a diaboli laqueis.* In quæ verba S. LEO epist. 91. ad Theodorum Episc. (al. 108. et 83. c. 4.): *ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente Apostolo: Ne quando Deus det illis pœnitentiam.*

Act. 5. v. 31. Apostoli hunc, aiunt, *Principem et Salvatorem Deus exaltavit dextera sua ad dandam pœnitentiam Israeli et remissionem peccatorum.* Ergo æqualis est conditio pœnitentiæ et remissionis peccatorum: hanc autem supernaturale donum esse nemo dubitat; erit igitur et pœnitentia.

Ezechielis 36. v. 26. Deus ait: *Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum.* Quod testimonium in hanc sententiam adducit S. Augustinus L. 1. contra 2. epistolas Pelagian. c. 20.

In multis item S. Scripturæ locis petimus, ut Deus nos convertat; ut Jerem. 36. v. 18. *Converte me, et convertar... Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.* In quem locum commentans Hieronymus (opp. t. 4. p. 1066. B. edit. Vallarsi.): *Vide, inquit, quantum sit auxilium Dei, et quam fragilis humana conditio, ut hoc ipsum, quod agimus pœnitentiam, nisi nos Dominus ante converterit, et nisi Dei nitamur auxilio, nequaquam implere valeamus.*

Prob. II. AUGUSTINUS epist. 166. (al. epist. 186. ad Paulinum. c. 9. n. 33.) ait, in Concilio Palestino, ubi Pelagius errores suos compulsus est revocare, declaratum fuisse, pœnitentiam esse donum Dei. S. FULGENTIUS L. de Fide c. 31. seu regula 28. (opp. p. 528. C.) ait: *Firmissime tene et nullatenus dubites, neminem hic posse hominum pœnitentiam agere, nisi quem Deus illuminaverit, et gratuita sua miseratione converterit.* Et Concilium ARAUSICANUM II. Can. 4. (Labb. t. 4. p. 1667. D.): *Si quis, inquit, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem, et operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto dicenti: Preparatur voluntas a Domino.*

CONC. TRIDENT. Sess. 6. c. 5. *Declarat* (S^a. Synodus) *ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse.* Cap. 6. *Disponuntur, inquit, ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum... ac propterea moventur... per pœnitentiam, etc.* Cap. 14. *Rursus justificari poterunt, cum excitante Deo per pœnitentiæ sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procuraverint.* Et Can. 3. *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.* Et Sess. 14. c. 4. diserte ait, etiam imperfectam contritionem, quæ attritio appellatur, donum Dei esse, et Spiritus sancti impulsam.

36. *Obj. I.* Scotus in 4. d. 14. q. 2. a. 1. tradit, actum pœnitentiæ secundum se et totam entitatem suam esse naturalem; adeoque viribus naturæ solius posse exerceri. Ergo Kemnitius vere errorem suum tribuit Catholicis: cum Scoti opinioni adhæreant Scotistæ; item Gabriel quæst. 1., Durandus in 2. d. 28. q. 5., Cajetanus Tom. I. Opusc. Tract. 4. q. 1.

R. 1^o. N. *Ant.* Scotus in 1. d. 44. q. un. scribit, ideo posse quemlibet peccatorem salvari, quia potest eum Deus sua gratia prævenire. In 4. d. 14. q. 3. negat, ab homine solis naturæ viribus posse cognosci, peccatum esse detestandum ut offensivum Dei, aut aversivum ab eo: et d. 22. art. 2. extremo, pœnitentiam a Deo inspirari fatetur. Hinc et Scotus et Theologi nuper citati dicunt, licet actus aliquis pœnitentiæ naturalis esse possit, ut tamen exerceatur, prout exigitur a Deo ad salutem, supernaturale aliquid ad ipsum necessarium esse, quod a divina gratia pendet.

R. 2^o. *Omisso antecedente N. Cons.* Si unus et alter Theologus exerraverit, aut obscurius fuerit locutus, non continuo Catholicis ipsorum erratum adscribi oportet: multo minus Concilio generali, quod veritatem oppositam manifestis atque iteratis explicationibus proponit.

37. *Obj. II.* Ad assequendam Conciliorum mentem sufficit dici cum modo laudatis Theologis, pœnitentiam, quatenus fidei et caritati conjunctam, esse supernaturalem, non quia in se supernaturalis sit, sed quia vel directio fidei, vel amoris imperium seu ordinatio supernaturalis est.

R. *N. Assert.* Alias eodem modo dicam, spem vel caritatem secundum se actus supernaturales non esse, sed quoad directionem fidei: vel fidem in se supernaturalem non esse, sed ut caritate informatam. Sed et Concilium Trid. non tantum copulativum seu complexivè definit, gratiam esse necessariam ad collectionem illorum actuum, sed divisim et copulative ad singulos illos actus gratiam requiri; et ideo non sine causa utitur particula disjunctiva, *aut.* Non potest ergo secundum fidem negari, pœnitentiam simpliciter loquendo, actum supernaturalem esse. Denique cum actus pœnitentiæ, juxta Concilium Trident. Sess. 6. c. 6. et Sess. 14. c. 4. sit ultima ad gratiam dispositio, actum eundem necessario supernaturalem esse convincimur.

Inst. 1. Sufficit, si proxima ad gratiam dispositio ex directione caritatis sit supernaturalis: talis enim dispositio extra sacramentum includit detestationem peccati propter Deum summe dilectum. Ergo non solide concluditur, actum pœnitentiæ esse supernaturalem, nisi quoad hanc relationem.

R. *N. Ant.* Nam nuper jam ostendimus, singulos actus dispositione illa comprehensos, ex Synodi Tridentinæ doctrina, supernaturales esse.

Deinde ad ultimam dispositionem ad gratiam non solum non sufficit actus naturalis, verum ne quidem ullus eorum est necessarius: tum quia tota ultima dispositio est ordinis ejusdem, cujus est forma, ad quam disponit; tum quia si aliquis actus naturalis per se necessarius foret ad dispositionem talem, homo illum solius naturæ viribus inchoare et perficere posset, per se loquendo et seclusis extrinsecis impedimentis vel difficultatibus; atque ita per illum salutis suæ initium posset capere, quod sanæ doctrinæ in Conciliis, Arausicano præsertim, traditæ repugnat.

Inst. 2. Naturali lumine mentis cognosci potest, quod honestum sit detestari offensas Dei; ergo voluntas ex se sufficit ad peccatum detestandum, modo pœnitens gratia Dei instructus per virtutes theologicas sufficienter ad Deum ordinetur.

R. *D. Ant.* Naturaliter ista possunt cognosci utcumque *T.* naturali lumine cognosci hæc: possunt utiliter et prout oportet ad consequendam justificationem et vitam æternam *N. Ant. et Cons.* Actus, ad quem producendum necessario requiritur principium gratiæ, est simpliciter et quoad substantiam supernaturalis: atqui ad pœnitentiam, quæ sit dispositio ad justitiam, requiritur necessario fides supernaturalis, inspiratio sancti Spiritus et auxilium peculiare divinæ gratiæ, ut hactenus ostendimus; ergo. *Confirmantur* hæc ex can. 6. Concilii Arausicani (Labb. t. 4. p. 1668. B.), qui ita habet: *Si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus... pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitus, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet, agere valeamus, per infusionem et inspirationem S. Spiritus in nobis fieri confitetur, et aut humilitati aut obedientiæ humanæ subjungit gratiæ adiutorium, nec ut obedientes et humiles simus gratiæ donum esse consentit, resistit Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? 1. Cor. 4. v. 7. Et can. 7. Si quis per naturæ*

vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere... posse confirmat hæretico fallitur spiritu, etc. Pœnitentiæ vero actus est electio bona, quæ proxime ad salutem pertinet vitæ æternæ.

Inst. 3. Intentio suscipientis sacramentum non debet esse supernaturalis; ergo neque actus pœnitentiæ.

R. *N. Cons.* Intentio nec est dispositio proxima ad gratiam, nec hujus impetratio: est enim eadem sive sacrilege, sive cum fructu sacramenta frequententur. Secus res habet in actibus pœnitentiæ, de quibus S. Thomas q. 83. a. 5. in 0. *Ad pœnitentiæ,* inquit, *actus Deo operanti in pœnitentiâ cooperamur. Quorum actuum primum principium est Dei operatio convertentis cor, secundum illud Threnorum ult. v. 21. Convertite nos Domine ad te, et convertemur.* Et paulo ante dixerat, habitus pœnitentiæ *immediate a Deo infunditur sine nobis principaliter operantibus: non tamen sine nobis dispositivè cooperantibus per aliquos actus.* Ergo actus pœnitentiæ salutaris non est naturalis: naturalium enim actuum habitus non infunduntur a Deo, sed nostra opera efficiuntur.

CAPUT III.

DE CONTRITIONE.

ARTICULUS I.

IN QUO CONSISTIT ESSENTIA CONTRITIONIS PERFECTÆ?

38. *Nota I.* Efficacissimum pœnitentiæ actum esse perfectam contritionem SS. Litteræ et perpetua Ecclesiæ traditio nos docent. Contritionis hujus genus est detestatio dolore mixta, ut Theologi omnes fatentur: per hunc enim actum convenit eum imperfecta contritione, quæ recentiorè vocabulo attritio appellatur. Cum vero Suaresius disp. 4. sect. 2. scribat, sibi post Solum aliquando visum fuisse, contritionem extra sacramentum justificantem concipi posse ex motivis justitiæ, religionis, gratitudinis et aliarum virtutum, quæ præmium aut pœnam non intuentur; eandemque opinionem ex recentioribus plures secuti fuerint: quaeritur in præsens, utrum differentiam perfectæ contritionis statui oporteat in solo motivo caritatis Dei super omnia dilecti?

Nota II. Caritas generatim accepta quemlibet boni et recti amorem significat. Quo sensu B. AUGUSTINUS L. de gratia Christi c. 21. n. 22. *Quasi aliud sit bona voluntas quam caritas. Quid est, inquit, caritas, nisi bona voluntas?* et L. de morib. Eccl. c. 15. n. 25. *Nihil omnino virtutem esse affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Quælibet virtus, inquit, est ordo amoris. Nimirum, ut S. THOMAS 1. 2. q. 62. art. 2. ad 3. notat, quælibet virtus dici-*